

aliis, post factam candide Palinodiam, error iterum imponat, imbecillitas sese, & inconstantia humani prodit ingenii, cui de- pellendae, media nos adhibere prolapsiones alienae iubent: **Quibus omnibus tandem efficitur, ut mens suas vires penitus exploret, & in dies magis magisque munitior fiat.**

§. XII. Subiicienda nunc sunt exempla, quae iuxta se- riem literarum, bona fide, enarrabo. Primo loco prodeant **ANONYMI** quidam, ex **ANABAPTISTARVM** grege. **Secta est,** quae sub initium, emendatae per Lutherum Religionis, cepit, & per turbas, quas dedit, non leviter eius cursum, & progres- sionem, sufflaminavit. Placita, sententiasque, quas tenet, hau- rias, licet, ex Menio, Bulengero, Wigando, Albero, & Otti no- minatim Annalibus Anabaptisticis, in quibus diligenter, de A- nabaptistis generatim, & speciatim Helveticis, actum est. Ex Lutheri scriptis hanc haeresin conflatam esse, Pontificiorum est criminatio, quam, semel, iterumque, depulsam, revocare non est veritus; paucis abhinc annis, Franciscus Catrou, homo Gallus, & Societate Iesu, in libro Gallice conscripto: *Histoire du Fanatisme dans la Religion Protestante.* Nolo operosiorem subiungere confutationem, quam cum laude alii praestiterunt. Et res o- mnis in vado est, si modo discrimen faciamus inter occasio- nem, quam quis studio aliis suppeditat, & quam praepostero sibi nonnunquam maleferiati sumunt. Rosis suum constat preium, & honos, quamvis succum inde araneae excipiant ve- nenum. Sufficit Lutherum, & qui ab eius stabant partibus, Melanchthonem, alios, ore, scriptoque, isti tene opposuisse aperte, nihilque intermisso eorum, quibus homines seniori restitui do-ctrinae poterant. Nec frustra semper, quem insumebant, labor- fuit. A. c. 1535. in pago Eutendorff minori, capti sunt a quaestore Leuchtenburgensi, molitor cum uxore, & filia, & quatuordecim peregrini alii, qui ex divino, quem iactabant, in- stinctu, in illum tractum concesserant. Hi fratum sese, & so- torum, appellabant nomine, ad imitationem, haud dubie, vetu- stioris Ecclesiae, in qua ille mos viguit, ut fideles sese fratres, & forores, dicerent. Ex quo tamen Gentiles occasionem sumserunt, nescio quas, libidines innocentibus Christianis improperandi,

Scri-